



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

VI. Quod non induantur clerici vestibus sericis rubeis vel viridibus, nec calcient sotulares albos, vel borsegnes albos vel rubeos, nisi cum nigris desuper sotularibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

ANNO CHRISTI 1473. publico semper vtantur. Sericas vero vestes qualescumque, aut breuitate notandas, nec non sotulares albos ipsis præsentium tenore prohibemus. Contrarium vero facientes viginti florenorum aureorum pœnam qualibet vice ipso facto incurvant, dimidietatem ipsius pœnæ fabricæ ipsarum ecclesiarum, dimidietatem vero pro expensis Concilii sequentis irremissibiliter applicandam. In mensa vero prælatorum omnimoda seruetur honestas, & sacræ scripturæ legantur, ita videlicet, ut fauces sumant cibum, & aures esuriant verbum Dei.

V I.

Ceterum ne clerici postquam in sacris ordinibus fuerint constituti, aut beneficiati extiterint, sericum, præterquam ab interiori sutura chlamydias aut capuciorum, quæ vulgariter forratæ appellantur, nec rubeas seu claras virides vestes induere, aut caligas eiusdem coloris, seu sotulares albos, vel borsegnes albos vel rubeos, nisi cum nigris desuper sotularibus dumtaxat calciare de cetero præsumant, sacro approbante Concilio præsentis constitutionis tenore prohibemus. Clerici autem contrarium facientes, si in metropolitana aut cathedralibus ecclesiis beneficiati fuerint, per decem dies qualibet vice eo ipso portione sua multentur. Alii vero clerici extra prædictas ecclesiæ beneficiati duorum florenorum pœnam qualibet vice irremissibilem incurvant, dimidietatem fabricæ illius ecclesiæ in qua beneficiati existunt, dimidietatem vero pro teste synodali hoc exequente applicantes. Si tamen beneficiati non fuerint, vnius

38 SIXTUS P. IV. CONCILIVM FRIDERICVS III. IMP.
HENRICVS IV. R. CASTELLÆ.

floreni pro teste prædicto pœna puniantur. Decani nihilo minus & alii ad quos id pertinet , si multationem prædictam remiserint quoquo modo , ipso facto a diuinis per mensem qualibet vice nouerint se suspensos.

ANNO
CHRISTI
1473.

VII.

Cælestis hierarchiæ rex , qui sua mundum inef fabili prouidentia plasmauit , ita quidem actus nostros in beneplacito suo direxit sanctæ maiestatis , vt & laboris & requiei dies non immerito destinaret. In illis enim Dei populus in sudore vultus sui vesceretur pane suo , in his fatiscentia membra a seruili opere detracta , Deo offerre curaret. Eapropter nos prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes , sacro approbante Concilio , diebus Dominicis & festiuis ab omni seruili opere fideles quiescere iubemus : nec liceat cuiquam rusticalia seu artificialia opera exercere , aut agros colere , nisi urgente necessitate , vel euidenti pietatis causa , & hoc de licentia sui sacerdotis. Infideles vero præfatis diebus officiis suis publice non vtantur. Contrarium vero facientes , per iudices , officiales , vel alios ad quos spestat , legitime puniantur. Qui si negligentes in hoc fuerint , grauiter puniantur : si vero dolo vel precio contrarium permiserint , ipso facto sententiam excommunicationis incurant.

VIII.

Locus ob-
scurus.

Quamvis omnis gloria * aspira , cum ad æternam salutem abintus esse debeat , verum quia militamus illi , cum quo omnis pulcritudo agri est , vilibus vestibus vti non debemus. Absurdum ergo &